



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

56. Dominica Septuagesimæ, Paßio D N. vinea meditatione excolenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO LVI.

Dominica Septuagesimæ.

Passio D. N. est vinea meditatione excolenda.

Videbo totam Passionis Domini seriem, quasi vineam, in qua vitis vera Christus, idemque Paterfamilias torcular calcavit solus, & sanguine proprio velut musto replevit. Audiam eum ad collaborandum sibi omnes excitantem: *Ite, ite & vos in vineam meam.* Petam lumen & gratiam occupandi me totum in vinea SS. Passionis Christi.

Conf. 1. Quod amor ex cognitione, hæc ex meditatione accurata, hæc ex bonitate rei propositæ oriatur: atqui Passio Christi est infinitus Dei erga nos amor, tantum in se bonum continens, ut à solo DEO, ejusque Filio quantum satis est agnoscat, qui propter corpus perfectum, animamque omni sapientiâ refertam, & corpus, & animam Personæ Divinæ unitam, infinitum bonum Passionis solus comprehendit.

Conf. 2. Quomodo deinceps magnitudinem dolorum suorum ex cognitione effectuum peccati ortam Christus solus quantum satis est, senserit: quia peccatum Deo fecit injuriam infinitam: peccatum naturæ humanæ intulit damna, & poenas, quotquot sub Sole sunt,

sunt, temporales, & æternas: peccatum Christi D. redimere nos volenti afflictiones infixit nullo intellectu humano, sed nec Angelico comprehensibiles; & hi fuerunt tres universales Christi dolores in conspectu ejus semper.

Conf. 3. Quomodo redundaverit in appetitu sensitivo Christi hic dolor: ut enim cognitio respondet rei, circa quam versatur, sic voluntas cognitioni, & appetitus sensitivus voluntati. Vnde patet in D. IESU appetitu sensitivo tantum fuisse dolorem, ut nisi altiore vi sustentatus, singulis momentis dolore, omni sensu majore, fuisset emortuus. **MI DEVS:** mi Redemptor, quis te sic afflictum consideret, & non liquecat!

Conf. 4. Quomodo D. IESUS juxta magnitudinem sensus interni etiam in externo passus sit, præsertim sæpe de passione sua loquendo, de qua supra decies quinquies collocutus est: quia *ex abundantia cordis os loquitur*, Luc. 6. Nisi hanc vineam meditatione excolo, Deoque meo compatior? vel fidem non habeo, vel amorem: non enim potest non esse dolor de tam malè tractato dilecto. Membra corporis condolent capiti afflicto: quam metuo, quòd cum principio summè bono nullam habeam amoris unionem. O divina pietas, si cor meum cereum est, impri-
me

me in filio imaginem Patris! si est é filice, eandem insculpe, tot malleis adhibitis, quot signa sunt Passionis, quot memorię in templis, urbibus, campis. Si totus sum luteus, & in aquas diffuso, tu igne amoris me coërce, & solida, imagines sordidas absterge, si *Eucharistia est exemplar Passionis*, S. Gaud. Tr. in Exod. Fasciculus myrrhæ mihi sit D. IESVS Eucharisticus, juxta illud D. Hieron. in c. 20. S. Matt. *Denarius figuram Regis habet, recepisti similitudinem meam, quid queris amplius?* D. Mechtildis damnatos ideo esse vidit, quia *nunquam dulciter unâ horâ recordati sunt mei*, id est, Domini IESV. Lib. 3. c. 11.

MEDITATIO LVII.

Feria 2. Domin. Septuag.

Eucharistia Actio deifica pari quâdam devotionis mensurâ agenda.

Aspiciam divinum Pelicanum de corpore suo nobis epulum instruente tanto affectu, ut post institutionem sanctissimi, non solum libenter moreretur, sed, si necesse fuisset, maluisset remansisse mortuus, quam ut hoc donum ab amante anima contineret. S. Gert. l. 3. c. 18. Petam agnoscere, quid ante Communionem, quid in ea, quid denique ab ea mihi faciendum, ut dignè cōmunicē.

Conf. 1. Dominum jubere parari Pascha,
ubi